



## **Scholia In Primarias Preces Imperatoris**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

Sectio I. a Pavlvvs b Episcipus servus servorum Dei. Charissimo c filio  
Ferdinando Romanorum d Regi Illustri in Imperatorem electo, e salutem &  
Apostolicam benedictionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

Sequitur textus

INDULTI PRIMARIARUM  
PRECVM IN QVINQVE SECTI-  
ONES DIVISUS, CUM SUMMARIIS.

Sectionis I. Summarium.

Causæ impulsivæ Indulti S. D. N. Pauli Pap. V. sunt bene  
merita Caesaris erga Ecclesiam Romanam Catholicam, cujus  
est Advocatus & legitimus Athleta adversus fidei Christiani  
nominis hostes.

SECTIO I.

<sup>a</sup> PAVLVS <sup>b</sup> Episcopus servus servo-  
rum Dei. Charissimo <sup>c</sup> filio Ferdinando  
Romanorum <sup>d</sup> Regi Illustri in Impera-  
torem electo, <sup>e</sup> salutem & Apostolicam  
benedictionem.

**E**VM post factam de persona tua per f. S. R. Imperij Principes &  
Electores in h. Regem Romanorum electionem, ac per nos pro uni-  
versa Reipub. salute i. confirmatam, nuper nobis significaveris, te  
summopere desiderare personas tibi gratas & acceptas gratia ut munificen-  
tia aliqua beneficia Ecclesiastica consequi posse: Nos quemadmodum magnis  
merentur offerri laudibus, insignibusque præconijs commendari & sublimium  
Principum desideria & vota que in divini nominis & personarum, illi Clericali  
vinculo adstrictarum amore feruntur, & opere post modum consequente tutum  
deducantur in actum: ita etiam dignum vel potius debitum existimamus, ut  
quoniam in fidei sinceritate & devotione illibate Ecclesie sponsæ nostræ, te  
fidelem & Advocatum devovisti, eamque humili professione Matrem &  
Domi-



PRECES PRIMARIÆ

Dominam tuam recognovisti, & ad ipsius honorem, & S. Rom. Imperii decus, & unionem victoriæ, & diadema etiam nostro ministerio, adveniente tempore, suscipere, & in eis immobilis persistere intendis, verum etiam tanquam ipse Ecclesie legitimus Pugil & Athleta, te adversus Schismaticorum & Hereticorum, Turcarum tyrannum, ac fidei ac Christi nominis hostes, insanas, & favores, spiritualiter & temporaliter armaris, & in dies arma hujusmodi jugiter exequeris, ea tibi favorabiliter concedamus, quæ tuæ Celsitudini cedant ad honorem, & per quæ eisdem bene meritis personis te munificum reddere possis, ope auctoritatis Apostolicæ exhibitione gratiarum.

SCHOLIA IN SECTIONEM I.

Nomen  
Pauli V.  
ante Pon-  
tificatum.

a PAULUS) Antequam ad summi Apostolatus apicem evehctus esset Paulus V. Pontifex Maximus Camillus vocabatur, ex Illustri Burghesiorum familia oriundus, cujus ego deductionem accuratam ex antiquissimis Scriptorum monumentis prodidi in Epistola liminari Dissertationum mearum in Onofandri Strategicum ad Illustriſſ. & Reverendissimū Dnm. Scipionem S. R. E. Card. Burghesium. Mutato autem Camilli nomine, Paulus V. dictus est; æquum enim est, ut Papa, qui aliis omnibus præest, proprio suo nomine quo appellabatur, dū aliis suberat, exinde non vocetur, sed aliud sibi assumat, ut sicuti est Dominus omnium, & Dei Vicarius effectus, *glos. in verb. Bomf. in præm. lib. 6. ubi DD. Guilielm. Bened. in cap. Raynurus in pr. non 43. & seqq.* ita nomen aliud sibi adsciscat ad instar Principis Apostolorum Petri, qui antea Simon dicebatur, *Restaurus Castaldus tract. de Imper. quest. 40.* Hinc omnes à Gregorio Magno Pontifices, hanc nominis mutationem non sine ratione esse considerantes, primo nomine neglecto, aliud assumere consueverunt, quasi quod prius in terrena, privataque vita assecuti erat, terrenos affectus redoleat; proinde cum terrenæ cogitationes & curæ sint ab ipsis calcandæ, oblivioni quæ mandandæ, aptè quidem cum secularibus negotiis, secularis quoque appellatio rejiciatur, id quod etiam in nonnullis Regularium ordinum familiis, observari notat Anast. Germon. *tract. de Indultis Cardin. in script. nu. 19.* Verum, quantò major & excellior est Papa, tantò humilior omnibus creaturis ostenditur, & propterea à se SERVUM SERVORUM DEI appellat, *cap. relatum 37. in si. de sent. excom. & in præm. Decretali in glos. verb. Servus* Ex quo illud processit, ut in die coronationis Papæ, quo conditionis humanæ minor sit, ante illum stupæ in summitate arundinis comburantur, & stentoreâ voce inclametur: SIC TRANSIT GLORIA MVNDI PATER SANCTE